1178. Cremona.

Morbio 16 (18)

18.

ALEXANDER EPS SERVUS SERVORUM DEI. DILECTO FILIO ALBERTO ABBATI MONASTERII SCI PETRI QUOD APUD CREMONAM SITUM EST. EIUSQ; FRIB; TAM PRESENTIB; QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS. IN PPM.

Que iudicii ueritate siue concordia terminata sunt. litteras debent memorie commendari. ne prauos hominum impostrerum ualeant refragatione
turbari. Inter uos siquidem et Obertum quondam Cremonen epm super eccla sce Margarite in burgo citanoue site. controuersia est diutius
agitata. que a bone memorie Boizone pbro cardinali sce Cecilie. Gregorio diacono cardinali scorum Sergii et Bachi. et Guidone similiter
diacono cardinali scorum Cosme et Damiani ex mandato felicis memorie predecessoris nri ADRIANI pp. hoc modo est decisa tamen
uis (?) tertia terminata. Asserebas autem tu Alberte abbas quod predicta eccla in fundo monasterii tui sita sit. Epc
uero respondebat quod [illegible] sci Petri predium in quo fundata est eccla sce Margarite sub certa pensione imperpetuum locauerit.
Addebat etiam quod in eccla sci Pauli in Citanoua que a predicto monasterio possidetur. quartam partem decimarum et oblationum
uellet epali iure habere. Auditis itaq; utriusq; partis rationibus et diligenter inquisitis. prefati cardinales equitate
media statuerunt. quatinus de eccla sce Margarite monasterio sci Petri sex denarios ultra solitam pensionem quam
prius de terra in qua fundata est eccla habebat pbr eiusdem eccle in assumptione beate Marie singulis annis persol
uat. Ceterum quia epc in aliis capellis quartam partem decimarum et oblationum non habebat. censuerunt. ut quod pbri alias
capellas pro recompensatione decimarum et oblationum epo faciunt. hoc idem capellanus qui in eccla sci Pauli per abbatem sci
Petri pro tempore fuerit. iuxta facultatem eccle remota aliqua graui exactione epo faciat. cum ad synodum Romane eccle
uenerit. Epc autem parrochianos eiusdem eccle suo officio cogat. ne personis per abbatem sci Petri inibi positis aliquam
iniuriam uel uiolentiam inferant. nec decetero epc uel uicini interdicant siue prohibeant abbati predictam ecclam sci Pauli per
monachos et clericos suos ordinare. Preterea de mutando [illegible] in locum illum in quo prefatus Boizo cardinalis sce
Cecilie tunc aplice sedis legatus crucem posuit. eiusdem predecessoris nri uestigiis inherentes. statuimus. ut
si epc Cremonen terram illam sui iuris esse poterit ostendere. commutationem tantundem ualentem. alibi a monasterio recipiat.
Addentes etiam prohibemus. ut in parrochia sci Pauli in dampnum ipsius nulla eccla construatur. Salua in omnibus aplice
sedis auctoritate. Siqua igitur infuturum ecclastica secularisue persona hanc diffinitionem ex precepto prefati predecessoris nostri
factam. et a nobis confirmatam. infringere temptauerit. ordinis et officii sui periculo subiaceat. atq; omnipotentis dei et
beatorum Petri et Pauli aplorum eius indignationem incurrat. AMEN. AMEN.

BENE VALETE

Ego Alexander catholice eccle eps SS.

✠ Ego Hubaldus Hostiensis eps SS.

✠ Ego Iohs pbr card. scorum Iohis et Pauli tt. Pamachii SS.
✠ Ego Boso pbr card sce Pudentiane tt Pastoris SS.
✠ Ego Petrus pbr card. tt. sce Susanne SS.
✠ Ego Viuian pbr card tt sci Stephani in Celio monte SS.

✠ Ego Ardicio diac card sci Theodori SS.
✠ Ego Cinthyus diac card sci Adriani. SS.
✠ Ego Hugo sci Angeli diac card SS.

Dat. Lat. p manum Alberti sce Rom eccle pbri cardin et Cancellarii. IIII. Id. Iunii. Indictione XI. Incarnationis dnice Anno M. C. LXX. VIII. Pontificatus uero domni ALEXANDRI pp. III Anno. XVIIII.

49*. MCLXXVIII Lettere papali

[illegible] 1178

· † · V ·

Morbio 16 (18)

[library stamp]

Priuilegium dni Alexandri pp. iij.
[illegible] Lxxviij.

Priuilegiū . S. Margarite .
in [illegible] et Sci pauli

[library stamp]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1764041046-12/fragment/page=2